



**A**lbertus ille ex nobili familia Rosenburgio-  
rum natus, à pueris statim armorum exerci-  
tia dilexit, atque in ijs magnam sibi paulatim au-  
thoritatem comparauit. Erat enim robusto cor-  
pore, atque singulari prudentia præditus. Vnde  
Caroli Imperatoris castra hinc inde secutus, ei  
præclaram operam nauauit, & etiam gratissimus  
extitit. Hinc factum ut aliquot turmas equitum  
eius fidei commiserit, & sæpius magnis copijs præ-  
fecerit. Fuit Albertus apud equites tantæ autho-  
ritatis, ut eo præsentē & incitante, summa alacrita-  
te res periculosas subirent, & foeliciter perficerent.  
Hinc factum ut multi principes eum sibi cōiunge-

rent, & liberali stipendio proposito secum retinerent. Cum hoc modo diu Al-  
bertus militiæ operam dedisset, tandem in Franconiam Orientalē rediit, atq̃  
ibi habitare cœpit. Vbi etiamnum ueneranda canitie insignis circiter sexagim-  
ta annos natus superest. Anon.